

Cogitanti mihi, quam potissimum materiam præfaturus nostro anni hujus examini sumerem, optimum factu visum est de ea in primis disciplina agere, quae et praestantia sua maxime commendatur, et utilitate reliquis disciplinis quam longissime antecellit. Eam esse religionis doctrinam, omnes justi rerum aestimatores uno ore consentiunt, quam nisi bene didiceris, et docueris alios, quidquid demum discatur et doceatur, vanum erit, atque inutile. Non is quidem sum, qui liberales artes et disciplinas merita laude orbatas velim; „haec enim studia, teste M. T. Cicerone, adolescentiam agunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. pro Archia poëta“ 7. 16.

Verum enimvero illud sine dubio asseveraverim, doctrinam religionis primas partes jure ac merito vindicare, et pari, ac ceteras doctrinas, aut majori etiam diligentia in gymnasiis pertractandam esse; qua quidem neglecta, vel parvi aestimata, vel perperam tractata mores juventutis sensim corrumpi necesse est. Vidimus exulceratis his temporibus, et maximo cum dolore vidimus, homines perversos, sui tantum amantes, ab omni autem Dei immortalis metu, et patriae etiam caritate alienos molles quoque non-nullorum juvenum animos opinionum stuarum pravitate infecisse.

Meum sane non est funestas hujus mali causas indagare, quae multae possunt esse ac variae. Omnium tamen, quibus juventus literarum studiosa, praestantissima pars generis humani, est concredita, permagni intersit oportet, nullam non operam navare, ne latius serpat haec pestis, sed ut comprimatur, extinguitur, ac funditus deleatur. Quonam autem meliori modo huic malo medicinam afferre nos posse credamus, quam si adolescentes, qui nostra opera in studia humanitatis et literarum incumbunt, religionis etiam scientia omni quo possumus studio imbuamus? Haec enim docet, ut scriptum est apud S. Paulum Apostolum, Deum timere, Regem honorare, omniaque boni civis officia diligenter sancteque servare; neque fieri potest, ut in juvenum animis, quocunque demum sit, scelus radices agat, si religionis doctrina, ut par est, fuerint exulti. Verum quot et quanta ibi flagitia nasci, et impune grassari necesse est, ubi divina haec disciplina deficit, aut contemnitur!

At neque illud parvi refert, quanam ratione in gymnasiis religionis doctrina tradatur, quae nisi bene fuerit pertractata, parum, aut nihil valebit ad juvenum animos ad virtutem, id quod ejus caput est, informandos. Longum esset de optima illius tractandae ratione hic agere, atque a consilio meo alienum. Nonnulla tamen, quae cavenda sint, et quae agenda, in medium proferre non ab re fore existimo. Atque in primis non possum non reprehendere, si quis in religionis doctrina ita velit versari, ut philosophum potius se profiteatur quam religionis doctorem. Non enim Socratis, aut aliorum philosophorum, sed Jesu Christi sumus discipuli. Neque tamen id eo dico, quo summis his priscae aetatis hominibus gloriam suam detractam velim. Admiratione profecto dignum est, hosce viros sola ratione duce preclare admodum de religione sensisse, et egregia virtutis praecepta in libris suis tradidisse, atque prae primis Socratem, qui, ut ait Cicero 5. Tuscul. Quaest. 4., „primus philosophiam devocavit e coelo, et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit, et coegerit de vita, et moribus, rebusque bonis et malis quaerere.“ Nec inficias eo, hunc philosophorum omnium principem, veraeque philosophiae parentem non solum de discipulis suis, quos studiosissime docuit, instituit, et ad omne officii munus instruxit, ut legere est apud Platonem et in Socratis memorialibus a Xenophonte conscriptis, sed de nobis etiam quam optime meritum esse.

Verum hoc ferendum non esse existimo, ut is, cuius est religionis revelatae doctrinam tradere, veterum philosophorum effatis nimium tribuat, eaque velut divinae sapientiae effata ubique venditet, et summis laudibus ad coelum extollat. Nonne enim ex praepostero, quo eorum sententiis nonnulli utuntur, modo facile fieri poterit, ut adolescentes rerum ignari has ipsis sacrorum librorum testimoniiis praeponant, aut in errorem inducantur credentes, rationem humanam per se ipsam id jam intellexisse, ad quod cognoscendum divinis nobis opus fuit oraculis, quodque ipse Dei filius, Jesus Christus e sinu, ut ita dicam, patris sui descendens nos ore suo docere non dubitavit? Igitur semper innitatur oportet religioni revelatae, quae omnium, quae ei docenda sunt, firmissimum est fundamentum. Quod ut melius ei procedat, primum erit probandum, solam religionem, quam dicunt naturalem, non sufficere, nec ea complecti omnia, quibus opus est hominibus ad vitam honeste agendam, metamque, cuius continguae gratia a Deo Optimo Maximo conditi sunt, confeeto hujus vitae cursu seleciter tenendam. Neque illud ei probare erit difficile. Quis enim aliquanto magis versatus in veterum philosophorum libris ignorat, quamvis multa praeclare scripserint, eos tamen, si de aliis summi momenti rebus disserunt, uti de recta supremi numinis colendi ratione, deque eo placando sceleribus violato, aut de animorum immortalitate,

reliquisque, quae nosse quam maxime necessarium fuisset, vel suam fassos esse ignorātiā, vel haesitasse, vel multa etiam alucinatos esse.

Nec minus eos a recta religionis doctrinam docendi via aberrare manifestum est, qui delibatis obiter ejus, ut ajunt, dogmatibus, ad illam disciplinae religionis partem, quam appellant ethicam, properant, atque in ea explicanda ita versantur, ut pro doctrina Iesu Christi et apostolorum sua potius cogitata adolescentibus discendi cupidis obrudant, quo fieri assolet, ut divina haec disciplina suo honore atque auctoritate privetur, et in doctrinam abeat humanam, utque eorum discipuli mira sane superbia sophistarum instar discent philosophari, et de divinis rebus disputare. Quod quam absurdum sit, nemo non videt. Neque enim religio ea est disciplina, quae in sola cognitione consistat, sed ea de causa nobis data divinitus, atque oblata est, ut ejus praeceptis ad vitam honeste agendam utamur. Quicunque igitur in religionis doctrina aliis tradenda operam ponunt, nisi id agant, ut discipuli eorum homines frugi fiant, frustra laborant, quamvis praeclarissima quaeque, ut ipsi quidem opinantur, ex suis quasi thesauris depromant. Quamobrem Iesu Christi et apostolorum vestigiis ingredientes accuratius explanemus discipulis nostris revelatae religionis dogmata, quae revera recte pertractata omnis honestatis maximum erunt incitamentum. Incredibile enim dictu est, quantum haec polleant ad pietatem hominum animis instillandam. Nam cum religionis revelatae mysteria potissimum complectantur, mirum quantum mentes dissentium summa Dei optimi maximi reverentia perfundunt, unde ea nascitur alacritas, quae ad mores pertinent, est obtemporandum.

Quo facto ad ethicam gradum faciamus, in qua quidem ipsius Iesu Christi, legislatoris nostri, et apostolorum suorum verbis utamur, aut ex sacris codicibus antiqui foederis praecepta virtutis excerpamus, quorum vim atque naturam ita explicabimus, ut quicunque nos audiunt, supremi numinis auctoritate permoti non solum fidem mandatis divinis tribuant, sed et paratos se se, propensosque praebeant ad ea exsequenda. Quod si nonnulla etiam pro re nata, simul et discipulorum habita ratione ex sacris conciliorum decretis, sanctorum patrum scriptis, et ecclesiastica historia sumamus, nihil amplius mea quidem sententia erit desiderandum. Nec ei, qui sacros illos fontes adierit, ex iisque hauserit, timendum erit, ne verba illum unquam deficiant; sunt enim sententiis quam optimis refertissimi, exemplisque omnis generis abundant, quibus discipulorum animos et ad virtutem consectetur incitare, et a flagitiis avocare possumus.

Denique, ut finem scribendi faciam, illud tantum adjungendum puto, non solum ei, qui hanc suscepit provinciam, religionis doctrinam esse tradendam, sed omnes

ingenuarum artium et disciplinarum magistros, dummodo suo, ut par est, fungi velint munere, in partem illius venire. Nonne enim pessime merebimur de sacra aequa, ac profana republica, quotquot sumus adolescentium moderatores, si neglectis eorum moribus in illis erudiendis omne tempus, omnemque operam nonnisi in litterarum studia insumamus? Nam vero mollis est, ac tenera, atque ad vitia quaeque proclivior juventus, quae nisi ad honestatem instituatur, in scelera suapte delabitur. Itaque ne satis quidem habeamus discipulis nostra vivendi ratione ad omnem virtutem facem praeferre, sed simul eis quavis data occasione virtutis preecepta inculcare studeamus. Nec quisquam putet, quod in his consumitur tempus, artibus et disciplinis ceteris ademtum iri, nam sine ulla harum jactura id fieri posse contendō. In ipsis enim explicandis latinis graecisque auctoribus sexcenta erunt obvia, quae praetermittere non poterit bonus artium et disciplinarum magister, quin discipulos ad virtutem amplectendam et scelera fugienda adhortetur. Quantus vero ei campus datur, cuius est historiam universalem enarrare, ita ut ubique locorum inveniat, quae opportuna ad hanc rem, atque ex usu esse possint.

Haec quidem de religionis doctrina breviter monenda judicavi, nec dubito, quin aequi rerum aestimatores ac judices, si non in singulis, in re tamen universa mecum sentiant.